



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Constantinus Conf. 26. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

26.Dec. VITÆ S A N C T O R V M . 625
omnem in admirationem raperet , curiosus Eu-
nuchus in cubiculum se penetrat DOMNAE , &
cum libro , de quo diximus , & cruce , itemque
thuribulo & cistellâ , quâ delicias suas panem
Angelorum asservabant , rem omnem in lucem
protrahit . Cæsi igitur fame ultimâ excrucianti
in carcerem concluduntur . Sed numquam alias
tam opiparè vixerunt , quando mensam Angeli
posuerunt omnibus lautitiis instructam . Inter
hæc DOMNA unicâ zonâ , quam gestabat , auro &
gemmais gravem , per fenestram demissâ , totam
pauperum cohortem vestivit . Mox , ut cum cœ-
nobio aulam liceret mutare , prudenter desipere
se ad simulavit . Iterum deinde insidiantem Maxi-
mianum virili veste elusit , cumque jam non hanc
modò , sed animum etiam virilem induisset , &
INDEN mari mersum extractumque tumulasset ,
cæsa pro Christo , & in ignes conjecta , ex Sacer-
dote recte victima est facta . Ex Metaphr.

*Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi at-
tingunt , quantam de ipso corpore sumere possint medi-
cinam ; quando mulier totam rapuit de solâ Christi
fimbriâ sanitatem . Sed quod nobis flendum est , nobis
medicina ipsa retorquetur ad vulnus . S.Petr.Chrys.
serm.34.*

S. CONSTANTINUS CONF.

26.Decembris.

Natus est hic CONSTANTINVS Hebreus ,
vixit verò Christianus , cùm Christianum
alium , qui in fossam lapsus signo crucis se munie-
rat , surgere in columem vidisset . Ab eo tempore
ita CHRISTI crucisque amore arsit , ut flammas
pectoris prodigiosus in vultu splendor proderet .

D d Impuram

Impuram è gente suâ puellam ad illicita se pelli-
cientem cruce neci dedit, cruce vitæ reddidit. In
cœnobium deinde, divino ductu , cùm venisset,
dum Servatoris è cruce pendentis pedibus oscu-
lum tulit, Servator ipse amplexum illi rependit,
simul suâ manu ductâ crucē fronti ejus impressit.
Ipse quoque locum eum, quo sacris undis est tin-
ctus, pedum saorū vestigiis insignē; eum verò,
quo preces solitus est facere, cælestib⁹ odoribus
nobilem fecit. Jam templorum portæ sponte illi
pandebantur. Totus oculatus illa etiam , quæ in
animis hominum gerebantur , pervidit : undas
sicco, cùm libuit, pede perambulavit, terrâ obru-
tus umbilico tenuis xl. dies sine cibo duravit.
Obiit verò anno , postquam sacris est initiatus,
viii. verissimus Abrahæ filius. Ex Menaïis.

*Cum cruce signaris , in mentem tibi veniat omnis
vis, quam crux continet, ac tum iram omnesque à ra-
tione aversos impetus extinxeris. Cum frons consigna-
bitur , aut reliqua membra, fac ut te ipse hostiam Deo
gratam offeras. S.Chrysost.de Ven.crucis.*

S. JOANNES APOST. 27. Decembris.

Ecce, MATER magna , filius tuus ! Ecce quis-
quis filius MARIAE es , germanus VIRGINIS
Sodalis JOANNES, cui ultimum cœnans Christus
in pulvillum pectus suum , moriens in matrem,
matrem dedit suam , nostram etiam deinceps , si
Joannes sumus. Asiam administravit. Exul pa-
triam tamen cælestem, aliaque quæ scriptis man-
davit, arcana vidit. Venenum, quod cruce tempe-
rasset, innoxium bibit, nec ab hoc tantum abhor-
ruit, quantum ab hæreticis , Cerintho præcipue,
quicum ne lavare quidem eisdem in balneis vo-
luit.